De
# Aeschyli Choephororum
## stasimo primo.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM SCRIPSIT
ET
PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS
OBTINENDIS
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM
ORDINI
IN UNIVERSITATE LITTERARUM IENENSI
PROPOSUIT

AEMILIUS LANGHEIM,
gymnasii Brunsvicensis Collaborator.

IENAE, 1874.
TYPIS RATII.

Aeschyliae trilogiae, quae Orestia dicitur, quasi semen et causa ex Homeri carminibus repetita sunt, in quibus Agamemnonem, regem Mycenarum, sceptrum tulisse enarratur a Iove Mercurio, a Mercurio Pelopi, a Pelope Atreo, ab Atreo Thyestae traditum [1]). Eundem in matrimonium duxisse Clytaemnestram, Tyndarei filiam, cui ad bellum Trojanum proficiscens regnum tradidisset. Post Agamemnonis autem discessum Aegisthum, Thyestae filium, regni cupiditate captum Clytaemnestrae animum sibi conciliare studuisse. Quam quidem corruptoris illecebris diu multumque obnixam [2]) tandem animo indulgentem in domum eius transmigravisse [3]). Sed Troja post decem annorum obsessionem Ulixis maxime dolo capta, Agamemnonem, quum rerum gestarum gloria florens multosque labores perpessus in patriam rediisset, ab Aegistho, qui interea regno potitus erat, interfectum esse [4]). Clytaemnestram igitur ipsam marito legitimo manus intulisse quamquam ex Od. III, 235

ὤλεϑ' ὑπ' Αἰγίσϑοιο δόλῳ καὶ ἧς ἀλόχοιο.

---

1) Hom. Il. II, 100—108.

2) Od. III, 263.

3) Od. III, 272.

4) Od. I, 36; III, 307; IV, 524—535.

non satis apparet, tamen apertius dicit Menelaus Od. IV, 91—92

— τείως μοι ἀδελφεὸν ἄλλος ἔπεφνεν
λάθρῃ, ἀνωιστί, δόλῳ οὐλομένης ἀλόχοιο.

Neque minus perspicue ab ipso Agamemnone Clytaemnestra parricidii accusatur Od. XI, 432 sqq.

— ἣ δ' ἔξοχα λύγρ' εἰδυῖα,
οἷ τε κατ' αἶσχος ἔχευε, καὶ ἐσσομένῃσιν ὀπίσσω
θηλυτέρῃσι γυναιξί, καὶ ἥ κ' εὐεργὸς ἔῃσιν.

et Od. XI, 452—453

ἡ δ' ἐμὴ οὐδέ περ υἷος ἐνιπλησθῆναι ἄκοιτις
ὀφθαλμοῖσι ἔασε· πάρος δέ με πέφνε καὶ αὐτόν.

Accedunt Od. XXIV, 96—97

ἐν νόστῳ γάρ μοι Ζεὺς μήσατο λυγρὸν ὄλεθρον
Αἰγίσθου ὑπὸ χερσὶ καὶ οὐλομένης ἀλόχοιο.

et Od. XXIV, 199—200

οὐχ ὡς Τυνδαρέου κούρη κακὰ μήσατο ἔργα
κουρίδιον κτείνασα πόσιν·

quibus locis Clytaemnestra mariti interfectrix dilucide denotatur. Agamemnone igitur interempto Aegisthum cum adultera septem annos Mycenarum regnum impune obtinuvisse[1]), octavo Orestem Athenis in patriam urbem reducem paternae caedis poenas ab Aegistho et Clytaemnestra repetivisse[2]) Argivisque funeris exsequias fecisse, inter quas Menelaus diu per mare vagatus in patriam rediisset.

Haec fere sunt, quae Homerus, parens ille artis poeticae, de Agamemnonis genere ac rebus domesticis tradidit. Is igitur, quae est ratio poetarum epicorum, nihil aliud quam res enar-

---

1) Od. III, 305 sqq.

2) Od. III, 309—310. Cf. Nägelsbach, Hom. Theol. V, § 39 Anmerk.

ravit, causa, cur eae fierent, non exposita. Satis enim habebat res praeclare gestas ante oculos ponere, in quibus atrox illud Orestis facinus dignum visum est, quod memoriae proderetur. Nec tamen eorum, qui Homerum secuti in epica poesi excolenda summam operam collocabant, animi huic fabulae tractandae admodum favisse videntur, quum nisi in Agiadis Troezenii carminibus, quae νόστοι inscribuntur, eam non commemoratam reperiamus. Sed postquam Xanthus[1] poesin lyricam amplexus est, Stesichorus Himerensis materiem e νόστοις petitam ita mutavit, ut rationem, quae inter conjugis caedem a Clytaemnestra factam et Orestis matricidium intercederet, accuratius exponeret[2]. Is enim Clytaemnestrae adulterii causam ex Veneris ira repetivit, quam Tyndareus et in se et in Helenam, Timandram, Clytaemnestram filias convertisset, parvulumque Orestem Laodameae nutricis beneficio ab interitu vindicatum esse fingit.

Idem addidit, Orestem, quippe qui matricidio facto culpam contraxisset, qua vix gravius quidquam cogitari poterat, a Furiis, caedium ultricibus, vexatum esse earumque impetum tandem telis ab Apolline acceptis propulsavisse[3]).

Fabulae, de qua agitur, mentionem et ipse Pindarus Pyth. XI injecit, qui non solum maritum ex bello Trojano reducem, verum etiam Oreste infante ab Arsinoe nutrice erepto Cassandram a Clytaemnestra necatam esse fingit. Idem causam eius sceleris sive ex Iphigeniae immolatione, quam quidem Dianam ab Agamemnone in venando offensam repetivisse Stasinus in opusculo, quod Κύπρια inscribitur, auctor est, sive ex Aegisthi adulterio repetendam esse ratus, Orestem a Strophio, Agamemnonis hospite, Crisae educatum esse enarrat. Unde eum, postquam adolevisset, in patriam urbem reversum matrem eiusque socium interfecisse.

---

1) Cf. Bergk, Lyr. pag. 739.

2) Cf. Nitsch, Sagenpoesie 463—465. Schneidewin, Einleitung zu Soph. Electra pag. 5.

3) Cf. Schneidewin, Einl. zu Soph. El. p. 5.

Cui adoptioni fidemut facerent, posteriores poetae Anaxibiam, Agamemnonis sororem, cum Strophio matrimonio conjunctam fuisse excogitaverunt. Quae narratio certe antiquior est, quam id quod Od. III, 307 traditur, Orestem Athenis commoratum esse.[1]) Certe hoc constat, eum in regione educatum esse, in qua Delphicus ille deus, Apollo, colebatur.

Quam materiem deinceps augebant fabulae singulis locis natae, quarum summa sententia haec erat, flagitia filiorum ex patrum sceleribus oriri. Sic Agamemnoni filiam immolandam fuisse fingebant, quod ejus pater Atreus fratri Thyestae filios mactatos apposuisset epulandos. Item Aegisthi adulterii causam ex patris Thyestae scelere repetebant, qui fratris uxorem Aeropen ad nequitiam abduxisset. Postea fratrum discidium atque facinora nefaria ex Pelopis patris injuria Myrtilo aurigae illata[2]) emanavisse putabant. Atque illum in iras coelestes a patre Tantalo excitatas successisse.[3])

Qua quidem ex materia Aeschylus, scenicarum fabularum summus ille scriptor, trilogiae, quae Orestia dicitur, argumentum collegit. Sed antequam fabulae mediae consilium perscrutamur, paucis afferre liceat, quae ratio inter tres illas fabulas, quae Ἀγαμέμνων, Χοηφόροι, Εὐμενίδες inscribuntur, intercedat. Atque in prima quidem Aeschylus regem Agamemnonem finxit, qui quum bello Trojano feliciter ad finem perducto summa rerum gestarum laude floreret, in patriam urbem reversus ab exore ejusque socio, Aegistho, foede occiditur, quam in caedem Clytaemnestra, ut quasi δαίμων ἀλάστωρ Iphigeniae immolatae poenas repeteret, Aegisthus, ut injuriam patri Thyestae ab Atreo illatam ulcisceretur, conspiraverant. Sed quum ejusmodi scelus sine justitiae violatione inultum impunitumque dimitti non possit, Cassandra ultorem aliquando perventurum

---

1) Cf. Schneidewin, Einl. z. Soph. El. p. 6.

2) Cf. Soph. El. vv. 504—515.

3) Cf. Hesiod. Opp. 282. Nägelsb. Nachh. Theol. I, § 22.

esse vaticinatur,[1]) cujus edicto fabulae quae sequitur argumentum significatur. In Choephoris igitur Orestes, ab Apolline patris caedem ulcisci jussus, cum Pylade amico in patriam revertitur et a Clytaemnestra in domum benigne receptus eam ipsam Aegisthumque, cui post Agamemnonem necatum illa nupserat, interimit. Quo facinore patrato ut Furiarum supplicia evadat, in Apollinis templum, quo eum persequuntur, confugit. In tertia denique fabula de Furiis agitur placandis lustrandoque Oreste, qui, quum causa in Areopago, summo illo Atheniensium judicio, tractaretur, Minervae intercedentis suffragio absolutus tandem in patrimonium restituitur. — Tres igitur illae fabulae, quamquam suo quaeque sensu absoluta est et quasi totum efficit, tamen ita sunt compositae, ut primam altera, alteram tertia necessitate quadam sequatur.[2]) Prima enim continetur causa, altera pugna, tertia denique diremptio (πρότασις, ἐπίτασις, κατάστασις).

Quibus de universa trilogia expositis, jam, nisi molestum est, de fabulae, quae Choephori inscribitur, consilio disseramus.

Ac scena quidem in conspectu ponit regionem circa Agamemnonis sepulcrum patentem, quod non, ut Muellerus (Zeitschrift für Alterthumswissenschaft 1838 p. 27) existimavit, in orchestra, sed Hermanno (Opusc. VII, pag. 56) assensus in proscenio collocandum esse judico. Quem ad tumulum aggressus postquam Orestes Pylade comite Mercurium, ut sibi in patre ulciscendo auxiliaretur, invocavit, tanquam sacrificium patri oblatum in sepulcro cirrum deponit. Quo facto quum mulieres servas in eisque Electram sororem e regia egredientes conspexisset, cum Pylade recedit, ut quid illae facturae sint observet. Is est quasi fabulae prologus (v. 1—21). Sequitur primum chori canticum sive parodus (v. 22—73). Atque chorus quidem constat e Troicis captivis lugubri veste indutis, quas quidem, quum in extrema parodo se ex patria urbe in servitutem redactas esse querantur,

---

1) Cf. Aesch. Agam. v. 1239 (ed. Herm.)

2) Cf. Welcker, die Aeschyleische Trilogie 492.

simul cum Cassandra in regis domum ductas esse verisimile est.[1]) Qua de re Weilius quidem dubitavit, quum chorum nusquam patriam significare nec Cassandrae mortis mentionem injicere dicat. Tamen id justo subtilius disputasse mihi videtur.

Profitentur igitur mulieres, se ab ipsa Clytaemnestra nocturno visu exterrita [2]) ad sepulcrum missas esse, ut Agamemnonis manes iratos sacrificio piaculari placarent. Tamen ejusmodi placationem manibus oblatam irritam fore, quum nisi caede caedes expiari non possit. Totam vero domum quasi tenebris esse obvolutam, majestatem regiam exstinctam atque summo illos angore vexari, ne brevi felicitas evanescat. Sed suam cuique fortunam a Iustitia tribui neque fieri posse, ut caedis auctor poenas meritas effugiat. Postremo deplorant suam ipsarum miseriam, quippe quae in servitutem redactae dominorum arbitrio sint obnoxiae. Illi enim quae nefarie fecerint, se probare quidem esse coactas, sed ex animis domini caedem se lugere. Postquam chorus finem dicendi fecit, Electra e comitibus, quas in eadem, qua ipsa, sententia atque condicione esse haud ignorat, quid inter libandum deos precetur, exquirit. Atque a choro edocta postquam deis inferorum omnem domus calamitatem suamque ipsius miseram condicionem conquesta est, illos patrisque manes precatur, ut Orestem fratrem domum referre sibique vitam condonare velint emendatiorem, quibus precibus chorus suas addit. (74—158). Officio igitur expleto Electra subito cirrum illum ab Oreste in sepulcro positum conspicit, quem propter sui capilli similitudinem a fratre missum esse sperare coepit. Simul vestigia detegit et, qua est animi perturbatione, cum suis plantis comparat, quarum similitudine Orestem ipsum adesse in spem adducitur. Iam vero Orestes, ut sorori dubitationem tolleret, ex occulto progressus ipse qui sit detegit, verbis veste sua ab Electra texta fidem afferens. Frater ac soror

---

1) Cf. Agam. v. 995.

2) Cf. Stesichorus, fr. 42.

non minus gaudio afficiuntur quam dolore. Deosque precatus, ut Pelopis gentem paene exstinctam ad dignitatem perducere vellent, Orestes sorori aperit, gravissimas sibi poenas ab Apolline imminere, nisi patris caedem in interfectoribus vindicavisset. (159—302). Sequitur cantus, qui κομμός sive κομματικὸν μέλος vocatur, a chori partibus, Oreste, Electra alternis vicibus cantatus, in quo quum Agamemnonis sors misera defletur, tum deorum auxilium in ultione persequenda invocatur. (303—504). Deinceps Oresti interroganti, qua potissimum re Clytaemnestra ad inferias patri efferendas adducta sit, chorus enarrat, Clytaemnestram in somnis draconem vidisse, qui ab ipsa editus atque nutritus cum lacte matris sanguinem bibisset. Quo somnio quum se ipsum significari intellexisset, et sororis et chori hortationibus confirmatus Apollinisque maxime auxilio fretus Orestes caedem parat. Postquam mulieres consilia occultare, Electram domum intrare jussit, ut quae intus fierent observaret, ipse et Pylades scenam relinquunt, ut Clytaemnestram a Strophio se missos esse simulantes de Orestis morte certiorem faciant. (508—578). De chori cantici, quod sequitur, (579—638) sententiis quum infra disserere in animo habeamus, hoc loco omittere liceat.

Hospitibus igitur aditus conveniendi datur. Quos postquam Clytaemnestra de Orestis morte, ex qua summum maerorem se capere simulat, certior facta in cubicula hospitalia deduxit, Orestis nutrix, Aegisthum cum armatis comitibus arcessere jussa, lacrimans e regia egreditur, quae tamen choro, ne armatos in domum vocaret, monenti facile obsequitur. (639—770).

Chorus postquam in proximo cantico (771—823) deos iterum invocavit, ut Orestis incepta prospere ad exitum perducere vellent, Aegisthus arcessitus, ut ex hospitibus ipsis nuntium illum haud ingratum accipiat, regiam intrat, in qua ab Oreste percutitur. Clamore sublato servus domini caedem pronuntians e domo se proripit, quem Clytaemnestra subsequitur. Quae quum somnium ratum esse intellexisset, cum filio pugnatura telum pos-

cit. Atque Aegistho intus occiso — apud Graecos enim, quorum animi a cujusvis facinoris foedi adspectu abhorrebant, caedes non in scena ante oculos poni solebat — Orestes matri instat, cujus a caede reverentia materna ac pietate quadam ductus destitisset, nisi a Pylade et officii et Apollinis mandati commonefactus esset. Quo fit, ut matrem frustra de Agamemnonis caede se excusantem quamvis invitus gladio transfodat.

Iam chorus cantum laetum canere coepit, in quo de incepti successu gratulatus divinam justitiam summis laudibus celebrat in spemque se erigit, fore ut scelere expiato tandem in domum rebus adversis afflictam summa felicitas redeat. (919–966).

Facinore patrato quum Orestes conscientiae vim quasi oppressurus et Aegisthi et Clytaemnestrae scelera Apollinisque mandatum iterum in animo reputaret, subito ipse Furias in se irruentes sentit, quas ut effugiat in Apollinis Delphici templum se confert. (967—1073).

Is est rerum progressus, quem Aeschylus in Choephoris explicuit. Totius igitur trilogiae summa sententia haec est, homines calamitatibus affectos nihil aliud quam facinorum fructus capere, ut meliora edocti ad virtutem redeant,[1]) quamvis haud uno loco sensus communis ad totius Pelopis gentis scelerum perpetuitatem spectans appareat.[2]) Hae duae sententiae, quarum illa tragoediae, haec poesis epicae propria est, quodam modo inter se contendunt et promiscuae sunt. Atque Aeschylus Stesichorum secutus Aegisthi facinore obscurato Clytaemnestram primo loco posuit, quippe quae caedis quasi princeps multo majorem commoveat Agamemnonis commiserationem. Omnino tragico more gentilicia illa deorum exsecratione neglecta scelerum initium egregie ex Iphigeniae immolatione repetitum est, quo fit, ut omnia illa scelera in ipsa Agamemnonis familia contineantur. Quod vero Iphigeniae immolatio in scena non fit, sed tan-

---

1) Cf. Hüttemann, die Poesie der Orestessage I, 8.

2) Cf. Agam. 1469 et 1532.

tum commemoratur, id materiae magnitudine satis excusatur.

Qua quidem Agamemnonis culpa quamquam Clytaemnestrae scelus quodam modo lenitur, tamen mores ejus tales sunt, ut facere non possimus, quin ejus caedem admodum probemus. Ipsos enim illos honores Agamemnoni victori Clytaemnestram eo consilio tribuisse manifestum est, ut eum rerum gestarum laude insignem deorum invidiae traderet.[1])

Agamemno enim ubi super vestes illas purpureas quamvis nudis pedibus incedit, necessitati debetur nec ita multo post conjugis perfidae plagis opprimitur. Neque maritum nefarie interemisse satis habet Clytaemnestra, sed excusationis vanitatis haud ignara Aegisthi adulterium illicitis Agamemnonis amoribus tegere audet, id potissimum agens, ne quis civium, quibus purgata esse vult, ipsius facinus aversatus seditionem moveat. Eadem ut contra maritum, ita adversus liberos impie agit. Neque enim ante Agamemnonis modo reditum Orestem infantem domo ejecit, verum etiam Electram dure atque aspere educat, quam inhumanitatem ex filii morte dolorem se capere simulans male occultat. Et ipsi Aegisthi in caede exsequenda operae excusationem quandam poeta tribuit, quum eum pro injuria patri ab Atreo illata Agamemnonem ulturum fuisse afferat. Is quidem cur a regia, postquam Orestes intravit, absens fuerit, poeta non exposuit, sed inde quod ei apud Orestem se excusandi occasio non datur, satis intelligitur, eum non dignum fuisse, qui se defenderet. Nam ejus culpa in aperto est, quam Atrei scelus Thyestae illatum Agamemnonis interfecti causam esse interserens imminuit quidem, sed non a se removit. Libidine enim maxime abreptus Agamemnonis caedem perpetravit, quae nisi caede expiari non poterat.

Clytaemnestrae atque Aegisthi flagitiis contraria est pietas morumque integritas Orestis, qui quamquam patris caede inulta

---

1) Hüttem. l. l. I, p. 16.

dimissa gravissimas ab Apolline poenas sibi imminere haud ignorabat, tamen a matricidio, quo vix quidquam atrocius cogitari posset, admodum abhorrebat. Itaque, qua est humanitate, antequam facinus illud propositum subit, cum sorore accurate deliberat, num patris officium persequatur Aegisthoque interfecto, num et ipsi matri manus afferat, diu cunctatus Pyladis demum adhortatione, deis magis obsequendum esse quam hominibus, confirmatus matrem gladio petit. Eadem illa pietas eo apparet, quod, quum Furias in se irruentes sensisset, in Apollinis templum confugit. Itaque factum est, ut Orestes, quum necessitate quadam ad matricidium efficiendum adductus mentem puram sibi servavisset, a Minerva intercedente expiatione dignus haberetur.

Atque Electra, quam Clytaemnestrae contrariam poeta finxit, cum castitate ingenium vere muliebre conjungit. Miserae enim conditionis patiens, quum ab eis quae a Clytaemnestra dicere jussa est abhorreat, quid inter libandum precetur incerta est. Quibus in angustiis versata comites in consilium adhibet, a quibus edocta deos inferos patrisque manes invocat, ut Orestem patris contumeliae expiandae causa domum reducere velint. Nec minus ingenii muliebris proprium est, quod, postquam cirro illo invento de Orestis reditu sperare coepit, vel vestigiorum similitudinem cum suis collatorum in optima spe ponit. Sed infirmitatis sibi conscia fratri, postquam qui esset sorori aperuit, omnem ultionem persequendam permittit neque de Orestis consiliis certior facta in scenam redit.

Pyladis deinceps et nutricis personis poeta usus est, quibus Orestis et Clytaemnestrae mores illustret.

Reliquum est, ut paucis de choro dicamus. Repraesentat enim omnium bonorum judicium, quibus, quamvis Agamemnonis interfectorum scelera improbent, tamen quae sentiunt non impune in medium proferre licet. Divina autem justitia fretus, a qua ejusmodi flagitia haud impunita dimissum iri sperat atque affirmat, cum Electra deos precatur, ut Orestem domum referre velint, ipsamque

deinceps nutricem Aegisthum cum armatis arcessere jussam monet, ne Clytaemnestrae morem gerat.

Ita ipsum chorum ad ultionis successum nonnihil contulisse liquet.

Quibus de universa fabula disputatis si totum ejus consilium cogitatione complectimur, facere non possumus, quin eam admodum perpolitam atque absolutam esse fateamur. Materies enim vere dramatica summa arte est tractata; personae ad unam omnes sibi constant neque in pejus sunt effictae; res naturali quadam necessitate se excipientes non narrari, sed geri videmus; nihil denique languidi, nihil duri, nihil absurdi. Ipsa chori cantica, quum duo tantum apud Aeschylum actores eodem tempore in scena agant, quoad ejus fieri poterat, admodum sunt temperata.

Satis habeo commemorare, haud ita multum temporis, postquam Aeschylus hanc fabulam egit (Ol. 80, 2), Sophoclem eandem illam materiem fabulae subjecisse, quae Electra inscribitur. Quem secutus est Euripides, qui et ipse hanc materiem in fabula, quae Electra inscribitur, sibi sumpsit tractandam. Quorum ex fabulis quamquam multum ad Aeschyli Choephoros recte aestimandos proficitur, tamen, ne a proposito digrediamur, hoc quidem loco eas praetermittere non alienum videtur.

Choephororum igitur primum stasimum explicaturo eam viam ingredi mihi liceat, ut primum disseram de lectione codicum manuscriptorum, in quibus codicem Mediceum decimo sive undecimo saeculo scriptum primo loco ponendum esse Dindorfius satis demonstravit, deinde verba emendata in sermonem Latinum vertam, postremo quae explicanda videntur explicem. Metrorum ratio, ne quid praetermittam, in extremo hoc opusculo afferetur.

Iam vero, nisi molestum est, de ipso chori cantico, quo vix apud Aeschylum aliud est difficilius, videamus. Et divisum quidem est in duas partes, quarum una per priores duas strophas pertinet, altera reliquas duas strophas complectitur. In illa enim agitur de culpa, quam omnes malefici contrahunt, posterior

est de poena, quam Erinys, scelerum ultrix, repetit. Nec solum strophae et antistrophae metrum sibi respondet, verum etiam membrorum compositio in stropha et antistropha par est, id quod ex sententiarum ordine, quem afferre mihi liceat, satis apparebit.

στρ. ά. Multa nutrit terra, quae terrorem incutiant hominibus (I), maria scatent beluis infestis (II), aër demittit fulmina et procellas (III).

ἀντ ά. Maxime vero horribilis est ipse homo (I), nihil muliere perniciosius (II), mulieris amore nihil violentius (III).

στρ. β'. Id Thestii filiae exemplo confirmatur, (I) quae torrem cum filii salute conjunctum combussit (II), quo facto filius periit (III).

ἀντ, β'. Nec minus abominanda est Scylla (I), quae dono capta patrem dormientem capillo immortali spoliavit (II), qua re mortem obiit (III).

στρ. γ', Abominandum est connubium illud nefarium (I) mulierisque insidiae Agamemnoni paratae (II), attamen domum colo eam, in qua scelus illud patratum est (III).

ἀντ. γ'. Summum quidem malorum est Lemnium (I), sed illo inferius hoc non est (II); inhonorati pereunt homines deis invisi (III).

στρ, δ'. Scelesti poenas non effugiunt (I), pereunt qui Iovis majestatem laeserunt (II).

ἀντ. δ'. Iustitia autem stat (I); parricidium parricidio expiat Erinys (II).

Sequitur primae strophae scriptura, qualis in codice Med reperitur:

Πολλὰ μὲν γὰρ τρέφει  
δεινὰ καὶ δειμάτων ἄχη  
πόντιαί τ' ἀγκάλαι κνωδάλων  
ἀνταίων βροτοῖσι  
πλάθουσι βλαστοῦσι καὶ πεδαίχμιοι  
λαμπάδες πεδάμαροι  
πτηνά τε καὶ πεδοβά-

μονα· κἀνεμοέντων
αἰγίδων φράσαι κότον.

Pro corrupta primi versus lectione γάρ scholiasta subjectum desiderans scribendum esse conjecit γ' ἀήρ, id quod patet ex ejus explicatione πολλὰ τίκτει ὁ ἀὴρ ἐκ τῆς ἡλιακῆς ἀκτῖνος πτηνὰ καὶ ἑρπετά. Tamen, qua erat diligentia, illud γάρ in γ' ἀήρ non mutavit; ubique enim id spectavisse eum videmus, ut codicum scripturam, qualis erat, integram intactamque relinqueret. Nec minus caute Aldus et Robortellus γάρ illud quamvis corruptum retinuerunt, pro quo scholiastae explicationem secutus Turnebus ac deinceps Victorius et Canterus γ' ἀήρ substituere non dubitaverunt. Sed ejusmodi scriptura ferri non potest, quum γ' ἀήρ illud non solum metri ratione, verum etiam logica sententiae dispositione rejiciatur. De aëris enim terroribus postea demum sermo est. Itaque Schuetzius et Porsonus scripserunt γᾶ, quae scriptura ab omnibus viris doctis optimo jure probata est.

In versu qui sequitur Heathius metri ratione commotus rectissime καί particulam in omnibus codicibus mss. post δεινά perperam insertam delevit, quae quidem inde orta esse videtur, quod librarius quidam verba δεινὰ δειμάτων ἄχη non satis bene conjungi posse existimavit. Quibus difficiliora ad explicandum sunt verba proxima ab aliis aliter explanata. Quorum emendationes antequam afferamus, sententiarum ordinem paucis exponere non alienum videtur. Postquam enim Orestes consilio matrem ejusque socium Aegisthum interficiendi detecto scenam reliquit, chorus quoscunque terrae, maris, aëris terrores enumerat, quibuscum in antistropha hominum audaciam maximeque mulieris amore captae vim atque formidinem omnibus naturae terroribus superiorem comparat.

Qua quidem sententiarum dispositione, qua vix quidquam simplicius potest cogitari, via aperta est, quam verba recte explicaturos sequi oportet. Et Schuetzius proposuit emendationem

πλάθουσι βλάσταις, καὶ πεδαιφνίους λαμπάδας πεδαόρους πτῆνα τε καὶ πεδοβάμονα κἀνεμοέντων αἰγίδων φρίσσει κότον, quae quum eo, quod βλάσται κνωδάλων pro simplici vocabulo κνώδαλα usurpatum vix perspicuum est, tum eo, quod a codicum mss. vestigiis nimis recedit, satis rejicitur. Nec minus audacter Bothius scribi voluit πλάθουσι, βλάπτει καὶ πεδαιφνίου λαμπάδος πεδάορον πτανά τε καὶ πεδοβάμονα, κἀνεμοέντα αἰγίδων φράσαι κότον, quod nemo probaverit. Etiam Wellaueri sententiam improbo, qui vulgatae lectionis sensum non reprehendendum esse ratus vertit: „Multas et terra belluas alit, et maria monstris infestis referta sunt, et solis radii alata atque reptilia animalia procreant, procellarum quoque furentium memento", cujus explicationis levitatem ipse intelligens apposuit: „Quae si quis ad logicae divisionis regulas redigere velit, falsa esse pronuntiabit, sed illas quis in lyrico carmine desiderabit?" Quod quidem parum considerate Wellauerum disputasse in aperto est. Nam quamvis in ejus verborum explicatione nihil logices inesse concedam, tamen ex eis, quae supra de sententiarum ordine exposuimus, efficitur, ut logicae divisionis praecepta dicamus a poeta non esse neglecta. Quem in errorem incidisse Wellauerum putaverim, quod vocabuli λαμπάδες explicatione a scholiasta ad vocem πεδάμαροι apposita αἵ ἀκτῖνες τοῦ ἡλίου αἱ καθημεριναί acquievit. Atqui sententia postea prolata κἀνεμοέντων αἰγίδων φράσαι κότον satis aperte demonstratum esse mihi videtur, λαμπάδες vocabulo nihil significari posse nisi fulmina. Quid enim aër terribilius afferre potest hominibus quam fulmina et procellas, quae quidem hoc loco commemorari quum simplicissimum, tum aptissimum erat? Nam quod Odofr. Muellerus in Zimmermanni diariis a. 1836 pag. 34 interpretatur „geflügelte und vierfüssige Unthiere, welche zwischen Erde und Himmel die Lichter des Tages wachsen lassen", id Hermannus (Opusc. VII) festive rejecit, quum dicit: „Von solcher Naturgeschichte war bisher nichts bekannt". Neque tamen ipse ex omni parte vere explicavit „zwischen Himmel und Erde erscheinende Meteore", quam

explicationem Droysenius in Aeschyliis tragoediis Germanice redditis secutus est, quum hoc loco praeter procellas ei potissimum aëris terrores nominandi essent, qui hominibus damna inferunt. Quodsi λαμπάδες vocabulo fulmina significari recte statuimus, quaestio est, num epitheta notioni, quam in voce λαμπάδες inesse contendimus, satis conveniant. Fuerunt enim, qui in adjectivi πεδαίχμιοι, pro quo Attici μεταίχμιοι dicere solent, forma offenderent, quia τὸ μεταίχμιον substantivi loco positum multo saepius usu veniret. Itaque factum est, ut Hermannus, id quod postea retractavit, πεδαιχμίῳ scribendum esse censeret. Nec tamen sine causa ad hunc locum Bambergerus adnotavit, adjectivum tam bene se habere quam substantivum. Inest enim vocabulo μεταίχμιος sive μεσαίχμιος notio „medius inter duos exercitus aut omnino medius inter duas res contrarias". Itaque hoc loco λαμπάδες appellantur πεδαίχμιοι, quod Aeolice dictum est pro μεσαίχμιοι, quum mediae sint inter coelum et terram. Deinceps quaeritur, quid sibi velit πεδάμαροι. Contra Klausenium enim, qui πεδάμαροι a πέδα et μαίρω, unde ἀμαρύγη, ἀμαρύσσειν, ἀμάρυγμα orta sint, derivandum esse censet, O. Muellerus l. l. rectissime disputavit: „Die Abweichungen des Klausenius von Wellauers Text scheinen uns dem Sinne nicht vortheilhaft, und πεδάμαροι, welches er nach den Handschriften für πεδάμεροι festgehalten hat, würde sich als Ableitung von πέδα und μαίρειν, ἀμαρύσσειν, schwer rechtfertigen lassen; wenigstens fehlen ganz alle Spuren einer Nominalbildung auf μάρος oder ἄμαρος, denn das von Klausenius angeführte ἀμάρα, Wasserfläche, gehört nicht zu dieser Wurzel". Itaque Wellauerus scholiastae maxime interpretatione αἱ ἀκτῖνες τοῦ ἡλίου αἱ καθημεριναί adductus in textum recepit πεδάμεροι, contra quem Hermannus Opusc. VII, p. 60 probabiliter disputavit.

Sequitur, ut de verbo βλαστεῖν disseram. Exstiterunt enim, qui verbum illud pro βλαστάνειν ab optimis Graecorum poetis non usurpatum esse contenderent. Nam de Sophocleo illo βλαστουμένη ὀπώρα a Weilio ad hunc locum defendendum prolato

Meinekius in Philologo a. 1863 rectissime disseruit Itaque Butlerus scribi voluit βλάπτουσι, quam vocem a Blomfieldio probatam hoc loco languere aptissime contendit Bambergerus, cujus tamen emendationum propositarum δάπτουσι, ἰάπτουσι, ἀΐστοῦσι, ἐλαστροῦσι nullam probaverim. Atque Hermannus verbo βλαστοῦσι ex oratione ejecto scripsit ἀνταίων βρύουσι· πλάθουσι καὶ πεδαίχμιοι et quae sequuntur. Sed vocem βροτοῖσι non omittendam esse mihi persuasum est, quum ἀνταίων accuratius definiri necesse sit. Et Heimsoethius (Die Wiederherstellung der Dramen des Aeschylus p. 376) βλαστοῦσι defendit, tum βροτοῖσι Hermannum secutus in βρύουσι mutavit, denique πλάθουσι, quod, quum prima syllaba non correpta sit, metro ferri posse negat, verbi βρύουσι explicandi causa in margine a librario quodam appositum esse ratus delevit. Nec tamen satis recte πλάθουσι in dubitationem vocavit, quum primam ejus syllabam in anacrusi positam ferri posse Hermannus (Epitome doctr. metr. paragrapho 66) demonstraverit. Heimsoethii igitur emendationem Meinekius ita probavit, ut pro βλαστοῦσι scribi vellet φύουσι, ad quod scholiastae explicatio γεννῶσι καὶ αὔξουσι aptius conveniret. Et ipse Dindorfius in Poetarum scenicorum editione verbi βλαστοῦσι formam suspectam esse censet. Contra Franzius verbo βλαστοῦσι omisso βροτοῖσι nescio qua ratione in proximum versum ita inseruit, ut verba πόντιαί τ' ἀγκάλαι praedicato egeant, contra quem quum alia, tum versum e solo molosso constantem a tragicis alienum esse Zwolskius in progr. gymnasii Ostrowiensis 1871 pag. 7 haud inepte disputavit Itaque quum Heimsoethio excepto inter omnes interpretes verbum βλαστοῦσι non sine causa, opinor, suspectum esse conveniat, non alienum mihi videtur pro βλαστοῦσι substituere πλήσσουσι, quod verbum quum eo commendatur, quod ad codicum scripturam prope accedit, tum eo, quod de fulminis ictu maxime usurpatum invenimus. (Cf. Il. XV, 117; XVI, 728; Eur. Supp. 944).

Illud enim verbum, praesertim si quis πλάσσουσι scribebat, quam facile βλαστοῦσι forma e textu ejici potuerit, in aperto

est. Neque difficile objectum ad πλήσσειν ex sententiarum nexu intelligitur. Quodsi Franzii emendationem illam praeclaram πεδοβάμον' ἂν ἀνεμοέντων pro πεδοβάμονα κἀνεμοέντων veram esse fatemur, quum K et N litteras saepe numero confusas esse constet, verba perspicua sunt. Textum igitur strophae hunc constituo:

Πολλὰ μὲν γᾶ τρέφει δεινὰ δειμάτων ἄχη,
πόντιαί τ' ἀγκάλαι κνωδάλων ἀνταίων βρο-
τοῖσι πλάθουσι· πλήσσουσι καὶ πεδαίχμιοι
λαμπάδες πεδάοροι,
πτανά τε καὶ πεδοβάμον' ἂν ἀνεμοέντων
αἰγίδων φράσαι κότον.

quem ita verto:

„Multos quidem terra nutrit graves terrorum dolores, maritimique sinus belluis eisque hominibus infestis scatent; percutiunt etiam media inter coelum et terram fulgura sublimia, et volucres et pedestria animalia norunt procellarum ventosarum furorem“.

Restat, ut pauca explicationis causa addamus.

Atque hujus loci similis invenitur sententia Soph. Antig. v. 332 πολλὰ τὰ δεινά, κοὐδὲν ἀνθρώπου δεινότερον πέλει. V. 580. δεινὰ δειμάτων ἄχη poetica est circumlocutio pro δείματα, portenta, quae non apud inferos, id quod O. Muellerus l. c. opinatus est, sed una cum hominibus in terra sunt. Nam si apud inferos essent, vix hominibus terrorem incuterent, qua de re hoc loco agi supra demonstravimus. Quam ad sententiam aptissime convenit V. 581 πόντιαι ἀγκάλαι, sinus maritimi, qui ea de causa commemorantur, quod belluae inde facillime praedandi causa in terram prorepere possunt. Atque inter haec et posteriora verba ea ratio intercedit, non solum quae vicina sint, sed etiam quae longius absint hominibus nocere.

V. 585. πτανά τε καὶ πεδοβάμονα nominativos esse contra Wellauerum Klausenius egregie monuit. — De ἀνεμοέντων forma

cf. quae Ruhnk. epist. crit. p. 101 et Herm. Mengius (Progr. des Holzminder Gymn. 1868 „Ueber den Gebrauch des Vocativs bei Aeschylus pag. 3.) adnotavit.

Transeo ad antistrophae textum emendandum. Quod enim vulgo scriptum est:

Ἀλλ' ὑπέρτολμον ἀν-
δρὸς φρόνημα τίς λέγοι
καὶ γυναικῶν φρεσὶ τλημόνων
καὶ παντόλμους
ἔρωτας ἄταισι συννόμους βροτῶν;
συζύγους δ' ὁμαυλίας
θηλυκρατὴς ἀπέρωτος ἔρως παρανικᾷ
κνωδάλων τε καὶ βροτῶν.

id Hermannus ita immutavit, ut pro λέγοι scriberet λόγῳ, pro φρεσί — φράσει, pro παντόλμους — παντόλμοις atque καὶ post τλημόνων insertum deleret. Is cur in voce φρεσί, pro qua in obss. critt. pag. 108 φύσιν substitui voluerat, offenderit, non intelligo, quum φρεσὶ τλήμων non solum significet animo patiens, sed etiam animo audens. Quam vim in voce τλήμων inesse perspicitur Soph. El. 275 et 239. Quodsi φρεσὶ τλημόνων retinendum esse statuimus, sequitur, ut λέγοι, quam optativi formam sine particula ἄν recte locum habere ipse docuit ad Vig. pag. 818 et 944, retineatur, ne praedicatum desit. Sed majorem praebet difficultatem codicum scriptura καὶ παντόλμους, quae strophae verbis ἀνταίων βροτοῖσι non respondet. Itaque Franzius, quem in strophae versu voce βλαστοῦσι ejecta βροτοῖσι in sequentem versum transtulisse supra commemoravimus, hoc loco καί particulam delevit, quo factum est, ut illius et hujus versus metrum sibi responderet. Cujus emendationem supra improbavimus. Neque ea probabilius nec omnino metro aptius est, quod Hermannus, Schuetzius, Bothius in strophae versu βροτοῖς legentes proposuerunt, quorum ille Canteri sententiam secutus παντοτόλμους, Schuetzius παναθλίους, Bothius Pauwio assensus παν-

*τολμίας* scripsit. Rectius quidem Klausenius, vocem quandam excidisse ratus, particula *καί* omissa *ἔρωτας* iterari jubet, quam sententiam satis magno exemplorum numero confirmavit. Est aliquid. Nec tamen mihi *καί* particula cujus ratio hoc loco alia est, quam in strophae versu secundo, quum quomodo in textum illata sit non appareat, delenda videtur, sed potius ea demonstrari mihi persuasum est, ante illud *καί* aliquam vocem excidisse. Quae quum ita sint, voce *νοῦν* inserta verba sic scribenda esse censeo:

*τλημόνων νοῦν καὶ παντοτόλμους,*

quae strophae versui

*κνωδάλων ἀνταίων βροτοῖσι*

aptissime conveniunt. Et quam facile *νοῦν* post similem syllabam *νων* a librario quodam omitti potuerit, per se intelligitur.—

V. 592 *συζύγους δ' ὁμαυλίας* enuntiationem interpretes diverse explicaverunt, in eisque Hermannus, particula *δ'* in *ϑ'* mutata, ad priora eam referri voluit. Weilius, post *ἔρωτας* interpunctione posita, particulam *δ'* delevit, ita ut enuntiatione *συζύγους ὁμαυλίας* verba *παντόλμους ἔρωτας* explicarentur. Sed mihi quidem lectio *συζύγους δ' ὁμαυλίας* praestare videtur, primum quod in codicibus Med. et Guelpherb. inest, deinde quod notio verbis *σύζυγοι ὁμαυλίαι* expressa „societas conjugalis“ non solum ad feminas, verum etiam ad masculos spectat, postremo quod sententia, nisi verba *κνωδάλων τε καὶ βροτῶν* cum accusativo *συζύγους δ' ὁμαυλίας* conjunguntur, parum perspicua est. Atque verbis, de quibus agitur, rectissime ait Schuetzius designari „omnem ex vitae societate domestica consuetudinem, adeoque vincula inter parentes et liberos, inter fratres et sorores, inter maritos et uxores“. Sententia igitur enuntiati haec est: Societate vero conjugali et bestiarum et hominum amor mulieribus imperans, reapse non amor, potior est, i. e. vinculum conjugale et bestiis et hominibus a

natura quasi insitum atque innatum et ob id ipsum sanctum pernicioso mulierum amore rumpitur. Atque ad rei naturam egregie Bambergerus adnotavit: „Igitur re docente praedicari existimamus, quod verum esse inter omnes constat, feminarum amorem quam masculorum vehementiorem esse et majore libidine stimulari“.

V. 593. Enuntiatione ἀπέρωτος ἔρως offensi Pauwius et Schuetzius proposuerunt ἀπέρωπος ἔρως, quod Hermannus et Weilius suo jure improbaverunt. Nec minus rejicienda videtur Hermanni conjectura πάρα νείκᾳ pro παρανικᾷ, quod Weilius rectissime defendit.

Textum igitur hujus antistrophae sic scribi velim:

Ἀλλ' ὑπέρτολμον ἀνδρὸς φρόνημα τίς λέγοι
καὶ γυναικῶν φρεσὶν τλαμόνων νοῦν καὶ παντο-
τόλμους ἔρωτας ἄταισι συννόμους βροτῶν;
συζύγους δ' ὁμαυλίας
θηλυκρατὴς ἀπέρωτος ἔρως παρανικᾷ
κνωδάλων τε καὶ βροτῶν.

atque ita verto:

„At quis effrenatam viri audaciam dicat et mulierum animis audentium mentem atque infelices amores cum mortalium calamitatibus conjunctos? Societate vero conjugali et bestiarum et hominum potior est amor mulierum praepotens, reapse non amor“.

Iam de singulis disseramus.

V. 587. ἀλλ' oppositum est strophici versus particulae μέν.

V. 588, λέγοι scholiasta male cum voce φερσίν conjungi voluit, ut notionem ἐννοήσειν exprimeret. Sed id fieri non potest quum quia verba γυναικῶν φρεσὶν τλημόνων separari non possunt, tum quia notio, quam scholiasta exprimi vult, in ipso verbo λέγειν inest. Significat enim non solum aliquid pronuntiare, sed etiam id, quod postea pronuntiatur, animo capere. — De perniciosa amoris vi cf. Soph. Ant. 791

σὺ καὶ δικαίων ἀδίκους
φρένας παρασπᾷς ἐπὶ λώβᾳ,
σὺ καὶ τόδε νεῖκος ἀνδρῶν
ξύναιμον ἔχεις ταράξας κ. τ. λ.

V. 591. σύννομος primum dicitur animal cum animali compascens, deinde prima notione imminuta transfertur ad quamcumque rem cum re conjunctam. — ἔρωτας ἄταισι συννόμους βροτῶν igitur interpretor amores, quibus homines pessum dantur.

V. 592. Enuntiationis σύζυγοι ὁμαυλίαι imago petita est de jumentorum pari, cui jugum impositum est. Cf. Aesch. Pers. 138 μονόζυξ.

V. 593. Verba ἀπέρωτος ἔρως per ὀξύμωρον eodem modo conjuncta sunt, quo γάμος ἄγαμος, χάρις ἄχαρις, alia. Atque hoc loco mulieris amor haud inepte ἀπέρωτος nominatur, quippe qui modum excedat nec veneretur vinculum conjugale ab ipsis bestiis servatum. — In copulato verbo παρανικᾷ praepositio παρά notionem efficit „male"; est igitur παρανικᾶν „nefarie negligere" sive „rumpere".

Proximum est, ut de alterius strophae textu pauca praeponamus. Et primum quidem nobis dijudicandum est, utra earum, quae exstant, lectionum aut ὅστις οὐχ ὑποπτέροις φροντίσιν δαείς aut ὅστις οὐχ ὑπόπτερος φροντίσιν δαείς anteferenda sit. Illa enim usi sunt Turnebus et Victorius scholiastae explicationem ὁ παιδευθεὶς οὐχ ὑποπτέροις φροντίσιν amplexi, haec scripta est in codd. Mediceo et Guelpherbytiano et apud Aldum ac Robortellum, ad quam alter scholiasta adnotavit ὁ μὴ κοῦφος ἀλλ' ἀληθῶς μαθεῖν θέλων. Et quum in optimorum codicum scriptura sententia insit aptissima, non mihi esse videtur, cur ab ea recedamus. Significant enim verba ὅστις οὐχ ὑπόπτερος φροντίσιν δαείς „qui non celer cogitationibus edoctus est" i. e. qui nondum ingenii celeritate ipse percepit exempla, quae in animis habemus. Quae sententia quum bene sese habeat, virorum do-

ctorum emendationes non necessarias fuisse facile intelligitur. Tamen, ne quid praetermittamus, eas afferre liceat. Certe Hermanni emendatio τὰν δαεῖσ' ἁ violentior est quam Emperii δμαθείς ab Heimsoethio sine causa recepta. Nec multo aptius Franzius adjectivi formam δᾴαις proposuit. Minime vero placet O. Muelleri conjectura δαῦσιν, quae si locum haberet, verbum καταίθουσα admodum languidum esse rectissime Zwolskius l. c. contendit. Formam καταίθουσα enim, pro qua et in codicibus et in veteribus editionibus scriptum est κ' αἴθουσα sive καΐθουσα, egregie Canterus restituit, quum et una syllaba deesset et καί sensu careret

V. 600 et 601. Pro eo, quod apud Aldum scriptum est, ἡνίκ' ἐπιμολών et apud Robortellum μακρόθεν jam pridem restitutum est ἅλικ', ἐπεὶ μολὼν ματρόθεν. Itaque strophae verba sic scribi velim:

Ἴστω δ' ὅστις οὐχ ὑπόπτερος
φροντίσιν
δαεὶς, τὰν ἁ παιδολυ-
μὰς τάλαινα Θεστιὰς μήσατο
πυρδαῆτιν πρόνοι-
αν, καταίθουσα παιδὸς δαφοινὸν
δαλὸν ἅλικ', ἐπεὶ μολὼν ματρόθεν κελάδησε,
ξύμμετρόν τε διαὶ βίου μοιρόκραντον ἐς ἆμαρ.

quae in hunc modum verto:

„Sciat vero, quisquis celer mente nondum cognoverit, quale filii perditrix misera Thestii filia excogitaverit incendii consilium, quum filii cruentum stipitem combureret aequaevum, postquam a matre partus vagivit, eique aequalem per vitam usque ad diem fatalem“.

Quod in extrema antistropha ά poeta commemoraverat, saepe vinculum conjugale mulierum amore dissolvi, id hac stropha Althaeae exemplo confirmat. De re cf. Ov. Met VIII, 451 sqq.

„Stipes erat, quem, quum partus enixa jaceret
Thestias, in flammam triplices posuere sorores,
Staminaque impresso fatalia pollice nentes
Tempora, dixerunt, eadem tignoque tibique,
O modo nate, damus.“

V. 595. ὑπόπτερος i. e. volucris, celer.

V. 596. φροντίσιν non significantur „curae“, quas Stanlejus intellexit, sed „cogitationes. — Ad δαείς sponte intelligitur ἐστίν. — τάν forma haud raro a poetis tragicis usurpatur pro relativa ἄν vel ἥν.

V. 597. Θεστιάς, Thestii filia, Althaea.

V. 599. παιδός i. e. Meleagri. — δαφοινόν „cruentum“ nominat poeta stipitem illum tanquam venis ac sanguine impletum. Quam vocem nisi de rebus ad sanguinem caedemque pertinentibus sive sanguinis colorem prae se ferentibus non usurpatam esse Zwolskius l. c. docuit. Atque syllaba δα, quam ex διά ortam esse verisimile est, vim adjectivi, quocum copulata est, auget. Idem valet syllaba ζα in vocabulis ζαής, ζάθεος, similibus.

V. 600. μολὼν ματρόθεν verbis circumscribitur „a matre editus“.

V. 602. διαί metri causa scriptum est pro διά.

Neque antistrophae β′ textus integer ad nos manavit. Ac primum quidem verba ἄλλαν δ' ἔστιν rectissime substituit Hermannus pro vulgata lectione ἀλλὰ δή τιν', quae sensu caret neque metro convenit. Notio enim voci ἄλλος „alius“ insita hoc loco vix potest deesse. Quod quum intellexissent, Pauwius et Schuetzius pro Turnebi lectione ἀλλὰ δεῖ τιν' substituerunt ἄλλαν δεῖ τιν' quod Wellauerus recepit, in quo tamen particula, quae traducat orationem, desideratur. Qua ratione ductus Bothius proposuit κἄλλαν δεῖ τιν', Weilius scribi mavult ἄλλαν δή τιν' ἐν λόγοις στυγῶ, Dindorfius ἄλλαν δή τιν'. Nec tamen Hermanni emendatione est quidquam facilius aut aptius. —

Praeterea sine ulla causa pro ἐν λόγοις Bothius scribi voluit εὐλόγως, quod vix reperietur, qui probaturus sit.

V. 605. Neque satis bene a Porsono et Schuetzio ὑπαί praepositio mutata est in ὑπέρ, quum forma ὑπαί non solum omnium codicum auctoritate confirmata sit, sed etiam apud Homerum saepissime usu veniat. (Cf. Il. III, 217 ὑπαὶ δὲ ἴδεσκε, X, 376 χλωρὸς ὑπαὶ δείους.)

V. 607. Pro χρυσεοδμήτοισιν Hermannus in obss. critt. pag. 102 χρυσεοκμήτοισιν conjecit, quod Schuetzius, Bothius, alii in textum recipere non dubitaverunt. Sed in Aeschyli tragoediarum editione scripsit χρυσοκμήτοισιν ὅρμοις et in strophae versu πυρδαῆτιν πρόνοιαν. Tamen lectionem χρυσεοδμήτοισιν similium exemplorum satis magno numero Zwolskius confirmavit.

V. 608. πιθήσασα bene restituit Abreschius ex codicum scriptura πειθήσασα, quam propter corruptum illud καΐθουσα strophici versus perperam Heathius in πεισθεῖσα mutavit.

V. 610. Potest dubitari, utrum ἀπροβούλως ad priorem vocem νοσφίσασ', an ad posteriorem πνέονθ' pertineat. Wellauerus priorem sententiam secutus est, Blomfieldius, Weilius, Bothius, Zwolskius ἀπροβούλως ad πνεονθ' referri volunt, id quod maxime mihi placet. „Nam certum est, ut Zwolskii verbis utar, Nisum inconsulte, h. e. sine custodia dormivisse. Si autem ἀπροβούλως ad antecedentem vocem νοσφίσασ' referretur, accipienda esset de Scyllae imprudentia, quae calamitosum sibi fore facinoris exitum non praevidisset; sed hoc alienum est ab Aeschyli consilio, quippe qui tantummodo Scyllae pravitatem ante oculos ponere voluerit.“ Accedit, quod verba πνέονθ' — ὕπνῳ adverbio quodam accuratius definiri par erat.

V. 611. De scriptura πνέονθ', quae in omnibus codicibus exstat, cf. Herm. ad Soph. Antig. v. 1132.

V. 612. Nec necessarium videtur κιγχάνει, cujus formae γ littera in cod. Med. erasa est, pro κιχάνει substitui, quum verbum κιχάνω apud Atticos poetas primam syllabam producere constet. Cf. quae Beckerus ad Eurip. Hippol. v. 1444 et Zwols-

kius l. l. diseruit. — Pro forma μιν, quae in omnibus codicibus invenitur, Blomfieldius νιν substituendum esse censuit, quod Franzius et Weilius non sine causa in textum receperunt, quum formam μιν Homeri, νιν poetarum tragicorum propriam fuisse verisimile sit. (Cf. Valck. ad. Eur. Hipp. v. 1253.)

Haec praefatus antistrophae textum hunc constituo:

Ἄλλαν δ' ἔστιν ἐν λόγοις στυγεῖν,
φοινίαν
Σκύλλαν, ἅτ' ἐχθρῶν ὑπαὶ
φῶτ' ἀπώλεσεν φίλον, Κρητικοῖς
χρυσεοδμήτοισιν ὅρ-
μοις πιθήσασα δώροισι Μίνω,
Νῖσον ἀθανάτας τριχὸς νοσφίσασ' ἀπροβούλως
πνέονθ' ἁ κυνόφρων ὕπνῳ· κιχάνει δέ νιν Ἑρμῆς.

quem in hunc modum verto:

„Aliam vero fabulis celebratam odisse licet, cruentam Scyllam, quae hostium auctoritate virum perdidit carum, Creticis monilibus aureis, donis Minois adducta, quum impudens Nisum inconsulte somno indulgentem capillo immortali privaret. Consequitur vero eum Mercurius."

Iam de singulis, quae explicanda videntur, disputemus.

Althaeae scelere commemorato transit chorus ad alterius mulieris facinus inauditum depingendum, Scyllae illius, quam Minois dono adductam impie in patrem egisse Aeschylus auctor est. Alia quidem est fabulae ratio ab Ovidio (Metam. VIII, 35 sqq.) tradita, qui non Minois monilibus aureis, sed ipso ejus amore captam facinus illud Scyllam in se admisisse enarrat.

V. 604. ἐν λόγοις (cf. v. 623 λόγῳ) i. e. narrationibus et fabulis poeticis.

V. 605. ἐχθρῶν ὑπαί parum accurate Stanlejus vertit „inimicorum gratia", quum hostes intelligantur patriam oppugnantes.

V. 606. φῶτ — φίλον i. e. patrem.

V. 611. κυνόφρων „impudens"; impudentia enim canis maxime propria est. Cf. κυνώπης, κυνολέσχης, quibus vocabulis notio impudentiae inest.

V. 612. κιχάνει δέ νιν Ἑρμῆς verba ab aliis aliter explicata sunt. Pauwius enim et Schuetzius νιν ad Scyllam referentes Mercurium, lucrorum praesidem, intelligi sententiamque cum ironia quadam pronuntiatam esse existimaverunt. Sed argumenta, quibus Schuetzius Pauwii explicationem confirmare studuit, nulla sunt. Nam etsi in ipso versu 606 Nisum a Scylla interfectum esse significatum erat, tamen inde non efficitur, ut in extrema stropha facinoris illius eventum accuratius commemorari alienum sit. Deinde hoc loco de Scyllae poena omnino sermo esse non potest, quoniam in altera demum cantici parte, ut supra exposuimus, scelerum poenae a choro respiciuntur. Postremo tota ejusmodi explicatio est durior atque nimis arcessita. Quae quum ita sint, Heathius, Butlerus, Weilius, omnes denique, quod sciam, recentiores interpretes scholiastae explicationem τὸν Νῖσον, μὴ τὴν Σκύλλαν secuti pronomine νιν ipsum Nisum significari egregie existimaverunt.

V. 612. Ἑμῆς. Mercurius, animarum ille deductor, aliis locis appellatur πομπαῖος, χθόνιος.

Sequitur tertia stropha, qua in explicanda aut emendanda viri docti ingenii vires admodum intenderunt.

Textus igitur, qui in cod. Med. reperitur, hic est:

> Ἐπεὶ δ' ἐπεμνήσαμεν[1]) ἀμειλίχων
> πόνων, ἀκαίρως δὲ δυσφιλὲς γαμή-
> λευμ' ἀπεύχετον δόμοις
> γυναικοβούλους τε μήτιδας φρενῶν
> ἐπ' ἀνδρὶ τευχεσφόρῳ[2])
> ἐπ' ἀνδρὶ δηΐοις ἐπικότῳ[3]) σέβας.

---

1) α littera supra η scripta est.

2) Totus versus a manu paullo recentiore est additus.

3) A prima manu scriptum est ἐπὶ κότω.

τίων δ' ἀθέρμαντον ἑστίαν δόμων
γυναικείαν ἄτολμον αἰχμάν.

Ac primum quidem Schuetzius, quum protasin ἐπεὶ δ' ἐπεμνησάμην (sic enim Heathius probabiliter emendavit) apodosis non sequeretur, scribi voluit ἔπειτ' ἐπιμνησόμεσθ' ἀμειλίχων πόνων ἀκραίους, τὸ δυσφιλὲς — ἐπ' ἄνδρα τευχεσφόρον, ἐπ' ἄνδρα δάοισι ἐπικότον σέβας, τίοντ' ἀ. ἑ. δ. γυναικείᾳ παντλάμον' αἰχμᾷ, quam lectionem et languidam et violentiorem vix reperietur, qui probaturus sit. Nec minus audacter Bothius in priorum versuum emendatione Schuetzio assensus posteriores ita exhibet ἐπ' ἀνδρὶ δᾳης ἐπικρατεῖ, σεβαστῶν δεινὰ θερμαντόν. Et ipse Bambergerus ἀκαίρως vitiosum esse ratus καρανῶ δέ substituendum esse censuit, quod quidem propterea non probabile est, quia caput omnium malorum Lemnium esse chorus postea affert. Nec dissimili ratione Weilius pro ἀκαίρως δέ substitui voluit παρήσω δέ et pro τίων δ' post extrema strophae verba interrogationis signo addito τίουσα. Certe ἀκαίρως retinendum est. Contra Franzius ἀπεύχετον mutavit in ἀπεύχομαι, quod et ipse Heimsoethius supra ἀκαίρως τε proponens scribi vult.

Sed ne ita quidem satis perspicuum est, qua ratione chorus dicere possit, se „incommode" connubium illud aversari. Eadem de causa Wellaueri sententiam improbo, qui post ἀκαίρως δέ verbum τίω omissum esse putat, quod infra demum δέ particula addita repetatur. Accedit, quod particulae δέ post ἀκαίρως positae ratio explicationem non habet, quamvis δέ post parenthesin inseri solere rectissime disputet. Ahrensius cum scholiasta ex ἐπεμνησάμην simile verbum ad ἀκαίρως intelligendum esse ratus et ipse τίω δ' scripsit interrogationis signo post αἰχμάν posito et vertit: „Postquam vero calamitosas aerumnas commemoravi, intempestive memorem ctr. — venererque igne carentem domus focum, ignavam muliebrem potentiam?" Attamen ἀκαίρως propterea haud recte conjunctum est, quod non intelligitur, quid sibi velit „intempestive memorem". Hermannus scripsit ἄκαιρος δ' ὁ — σέβων, τίων τ' —

αἰχμάν, totam enuntiationem quasi orationi mediam interpositam esse ratus, cui emendationi id obstat, quod participium σέβων ab articulo ὁ nimis remotnm est. Neque intelligo, cur totam sententiam in parenthesin incluserit. Propius ad verum accessisse mihi videtur Klausenius, qui ἀκαίρως cum adjectivo δυσφιλές conjungi vult et sic interpretatus esse videtur: „ἀκαίρως δυσφιλές quod intempestive invisum factum est, quum amor Clytaemnestrae ob mactatam filiam conversus in odium causa facta sit facinoris, quod conjugium aedibus invisum et detestabile reddidit, ἀκαίρως infauste“. Quam viam secutus Zwolskius existimavit, poetam flumine verborum lyrico quasi abreptum, quum post ἀκαίρως δ', pluribus accusativis praepositis, verbum finitum ponere esset oblitus, participium pro verbo finito posuisse. Atque illud ipsum verbum, quod a poeta neglectum esse censet, etiam scholiasta intelligi vult, quum afferat μνήσομεν. Ejusmodi aposiopesin humana natura optime declarari, antequam Zwolskii sententiam cognoscerem, equidem existimavi. Nam ut hominem concitatum perturbatumque, dummodo iram effundat, logici sermonis praecepta non curare constat, ita ipsum chorum Clytaemnestrae sceleris odio abreptum sermonem incidere non alienum visum est. Sed re diligentius perpensa adductus sum, ut verbum μνήσομεν, quod scholiasta omissum esse putavit, parum grave totamque enuntiationem ἐπεὶ δ' ἐπεμνησάμην ἀμειλίχων πόνων, μνήσω κ. τ. λ. languidam esse crederem. Desideratur potius verbum posteriori τίων δ' contrarium, quod quidem in formam ἀπεύχετον a librario quodam perperam mutatum esse mihi persuasum est. Itaque Blomfieldii egregia conjectura ἀπευκτέον recepta scribi velim:

Ἐπεὶ δ' ἐπεμνασάμαν ἀμειλίχων
πόνων, ἀκαίρως τὸ δυσφι-
λὲς γαμήλευμ' ἀπευκτέον δόμοις κ. τ. λ.

Quod si scribitur, nominativum sequentem τίων mutari non necessarium est, quum non solum apud poetas, sed etiam pede-

stris sermonis scriptores nominativus participii haud ita raro verbi formam sequatur, quae proprie alium casum adsciscit. (Cf. Krueger, Gr. Synt. § 45, 2, 3.)

V. 614. Pro voce πόνων Stanlejum secutus Weilius scribi voluit πόθων, Schuetzius in ed. prima φόνων, quod Butlerus probavit. Sed non est, cur voce πόνων offendamus, quippe qua mala (Leiden) significentur.

V. 617. De verborum ἐπ' ἀνδρὶ τευχεσφόρῳ, quae propter idem sequentis versus initium a librario quodam omissa sunt, auctoritate dubitandum non est.

V. 618. Pro verbis δηΐοις ἐπικότῳ σέβας alii aliud substituerunt. Porsonus enim codicum scripturam δηΐοις metri ratione rejectam mutavit in δᾴοισιν. Heimsoethius pro ἐπικότῳ scribi voluit ἐγκότῳ, quod Dindorfius recepit. Bambergerus proposuit ἐπικρίτῳ, Hermannus δᾳΐοις ἐπικλύτῳ, Weilius denique adjectivo, ex quo accusativus σέβας pendeat, opus esse ratus scribi voluit ἐντόκῳ σέβας, quae conjectura ex eis, quae propositae sunt, maxime mihi placet.

Textus igitur hujus strophae ita scribendus esse mihi videtur:

Ἐπεὶ δ' ἐπεμνασάμαν ἀμειλίχων
πόνων, ἀκαίρως τὸ δυσφι-
λὲς γαμήλευμ' ἀπευκτέον δόμοις
γυναικοβούλους τε μήτιδας φρενῶν
ἐπ' ἀνδρὶ τευχεσφόρῳ
ἐπ' ἀνδρὶ δᾴοισιν ἐντόκῳ σέβας,
τίων δ' ἀθέρμαντον ἑστίαν δόμων
γυναικεΐαν ἄτολμον αἰχμάν.

quem sic verto:

„Quoniam autem gravium malorum recordatus sum, exsecrandum est conjugium illud aedibus intempestive invisum atque insidiae feminea mente paratae viro armifero, viro hostibus

verecundiam injicienti, quum focum aedium venerer neglectum, propter femineam ignavam hastam.“

Iam singula consideremus.

V. 613. *ἀμειλίχων πόνων* i. e. malorum ab Althaea et Scylla excitatorum.

V. 615. Ad *ἀπευκτέον* intelligitur *μοί ἐστιν*, quem dativum infra nominativus participii, ut supra dictum est, suo jure sequitur.

V. 616. *μήτιδας* „consilia“ hoc loco in malam partem accipit chorus i. e. insidias. Nec praetermittendum est, cum gravitate quadam sermonis poetam *γυναικοβούλους* et dupplex illud *ἐπ' ἀνδρί* ita disposuisse, ut ab eis verbis versuum initium fieret.

V. 618. In verbis *δήοισιν ἐντόκῳ σέβας* simul intelligitur sententia: quem eo magis ab uxore diligi par erat.

V. 619. Verba *τίων δ' ἀθέρμαντον ἑστίαν δόμων* vario modo explicata sunt. Bambergerus enim significari arbitratur focum, in quo nullus vir alienus ignem suscitet; Franzius focum, in quo non dominus ignem accendat, sed uxor sola. Weilius ad haec verba adnotavit: „*ἀθέρμαντον ἑστίαν* est quasi *ἀνέστιον ἑστίαν*: nam focus, cujus ignis ab ignavo et scelerato Aegistho accenditur, non est focus familiaris, quem servi pie colant.“ Quas quidem explicationes arcessitas esse in aperto est. Verbis enim *ἀθέρμαντος ἑστία* nihil significatur nisi focus non calidus i. e. neglectus, id quod quum Wellauerus, qui interpretatur domum neglectum, tum Klausenius bene intellexit explicans: „Tanta sunt mala mea, ut is, qui mihi colendus est focus, neglectus jaceat.“ Tamen cum Klausenio ita dissentio, ut focum non a servis, sed ab Aegistho et Clytaemnestra, quippe qui sacra domestica per longum tempus intermiserint, neglectum esse putem.

V. 620. Verba *γυναικείαν ἄτολμον αἰχμάν*, ad quae scholiasta *κατά* intelligi vult, causam afferunt, cur focus neglectus sit, de qua appositione efficientis et effectae rei Klausenius ad Agam. v. 262 disseruit.

V. 620. *ἄτολμον* nominat chorus mulieris hastam, quippe

quae non palam, sed dolo Agamemnonem lavantem percusserit.

Sequitur antistropha tertia, cujus textus, qualem cod. Med. praebet, hic est:

Κακῶν δὲ πρεσβεύεται τὸ Λήμνιον
λόγῳ· γοᾶται δὲ δὴ ποθεί[1]) κατά-
πτυστον· εἴκασεν δέ τις
τὸ δεινὸν αὖ Λημνίοισι πήμασιν.
θεοστυγήτῳ δ' ἄχει
βροτῶν ἀτιμωθὲν οἴχεται γένος.
σέβει γὰρ οὔτις τὸ δυσφιλὲς θεοῖς.
τί τῶνδ' οὐκ ἐνδίκως ἀγείρω;

V. 621. Pro δὴ ποθεῖ Turnebus et Victorius praebent δήπουθεν, Aldus δὴ ποθεί, Robortellus δήποθ' εἰ, unde Wellauerus δήποθεν scribendum esse conjecit. Contra Hermannus γᾶ πάθος substituit, Weilius Blomfieldii conjectura βοᾶται recepta scripsit βοᾶται δὲ δὴ πόθει. Mihi qnidem, quantum ego conjectura assequor, scribendum esse videtur γοᾶται δὲ δή τοθι κατάπτυστον „plangitur vero certe ibi detestabile," id quod quum ad codicis Med. scripturam proxime accedit, tum sententiam praebet aptissimam. Nam ut veteres ab hominis malefici abhorruisse constat consuetudine, ne ejus vitiis quasi infecti deorum iram in se converterent, ita eos ipsam illam terram, in qua scelus patratum erat, aversos esse verisimile est, id quod qui insulam incolebant suo jure aegre ferebant.

V. 623. Formam εἴκασεν a Wellauero retentam recte mutavit Hermannus in ᾔκασεν, quippe quae scribendi ratio optimorum codicum auctoritate confirmata sit.

V. 624. Pro τὸ δεινόν sine causa substitui voluerunt Schuetzius δεινόν τόδ' ἄν, Bothius τόδ' αἰνὸν ἄν, quum articulo definito apud poetas pronominis demonstrativi vim inesse constet nec dubium sit, quid chorus intelligi voluerit. Cf. v. 614 τὸ δυσφιλὲς γαμήλευμ'. Neque est, cur Hermannus pro vulgata le-

1) Littera ι super ει scripta est.

ctione αὖ posuerit ἄν, nam aoristus est gnomicus, quem vocant, atque αὖ particula comparationis vis admodum augetur.

V. 625. Aurati scripturam a plerisque interpretibus receptam ἄγει pro ἄχει satis probo, quum ἄχει ab hoc quidem loco abhorreat.

Itaque verba sic sunt scribenda:

Κακῶν δὲ πρεσβεύεται τὸ Λήμνιον
λόγῳ· γοᾶται δὲ δή το-
θι κατάπτυστον· ᾔκασεν δέ τις
τὸ δεινὸν αὖ Λημνίοισι πήμασιν.
θεοστυγήτῳ δ' ἄγει
βροτῶν ἀτιμωθὲν οἴχεται γένος.
σέβει γὰρ οὔτις τὸ δυσφιλὲς θεοῖς.
τί τῶνδ' οὐκ ἐνδίκως ἀγείρω;

quae ita verto:

„Malorum vero eminet Lemnium fabulis celebratum; plangitur certe ibi detestabile; comparaverit autem aliquis hoc malum rursus cum Lemniis malis. Deis autem invisa culpa mortalium genus ignominia obrutum perit. Nemo enim colit, quod deis odiosum est. Quid horum non juste colligo?" —

Fabula igitur, quam chorus commemorat, tradita est ab Herodoto VI, 138, qui Pelasgos injuria ab Atheniensibus affectos multas eorum mulieres diem festum agentes rapuisse raptasque in Lemnum deduxisse auctor est. Quae quum filios e Pelasgis natos linguam Atticam moresque Atheniensium docuissent, et filios, ne viri facti Atheniensium injuriam vindicarent, et matres ipsas a Pelasgis esse interfectos.

Aliam tradidit fabulam Mich. Apostolius (παροιμίαι XI, 98), qui proverbiale illud Λημνίᾳ χειρί explicaturus enarrat, Lemnios a Venere irata, quippe cui sacra anniversaria non persolvissent, impulsos esse, ut ipsorum uxoribus neglectis Thraciarum mulierum amoribus caperentur. Qua re irritatas injuriae ulciscendae causa Lem-

nias mulieres suos maritos necavisse. Et hanc fabulam, qua mulierum crudelitas maxime apparet, Aeschylus in suum usum convertisse videtur. Inde etiam proverbia illa nata sunt Λήμνια κακά (Gregorius Cyprius, Suidas, Photius s. v.) Λημνίᾳ χειρί (Suidas, Michael Apostolius παροιμίαι XI, 98) Λημνία δίκη (Suid. Phot.) Λήμνιον βλέπειν (Suid. Mich. Apost. Photius).

V. 622. λόγῳ idem valet quod v. 604 ἐν λόγοις.

V. 626. γένος non satis recte interpretatur scholiasta τὸ τῶν Λημνιάδων, sed significantur omnes homines tanto parricidio obliti. —

Nec minores quam tertia praebet interpretibus difficultates quarta stropha, cujus textus, qualis in codice Med reperitur, hic est:

Τὸ δ' ἄγχι πλευμόνων ξίφος
διανταίαν ὀξυπευκὲς σοῦται
διαὶ Δίκας· τὸ μὴ θέμις γὰρ οὐ
λὰξ πέδον πατούμενον τὸ πᾶν Διὸς
σέβας παρεκβάντες ἀθεμίστως.[1])

Ac primum quidem inter omnes viros doctos convenit, pro πλευμόνων scribendum esse πνευμόνων et pro σοῦται verbum οὐτᾷ, quorum illud a Robortello, hoc ab Hermanno bene restitutum est. Sed de versus 631 explicatione interpretum sententiae admodum variantur. In cod. Guelph. enim οὐ accento distinctum est; Robortellus οὐ-λάξ copulatum praebet. Nec quidquam ex scholiastae explicatione τὸ γὰρ μὴ δίκαιον οὐ δεῖ ἀμελεῖσθαι, οὐδὲ παρασιωπᾶσθαι, ἀλλ' ἐνδικήσεως τυγχάνειν proficitur nisi universa verborum sententia.

Hermannus igitur, qui Stanleji conjectura παρεκβάντος pro παρεκβάτες probata πέδοι scripsit pro πέδον, scholiastae explicatione, quam supra apposuimus, adductus verbis τὸ μὴ θέμις substantivum circumscribi et λὰξ πέδοι πατούμενον notionem negligendi effici

---

1) Littera α ab eadem manu in ου mutata est.

censuit atque vertit: „Scelus ejus, qui Jovis reverentiam impie violavit, negligitur." Sed contra eum recentiores plerique interpretes optimo jure disputaverunt, λάξ πέδοι πατεῖν non esse „negligere," sed „pedibus conculcare." Praeterea genetivus ille παρεκβάντος mihi improbandus videtur, quum quod a substantivo τὸ μὴ θέμις, unde pendet, nimis remotus est, tum quod impios ipsos pedibus conculcari aptius dicitur quam eorum scelera. Nec dissimili verborum interpretatione satis refutatur Wellaueri explicatio, qui οὐ particulam propterea retinendam esse censet, quod sententia haec sit: „Namque scelus commissum non manet neglectum et inultum." Weilius verba τὸ μὴ θέμις usque ad πατούμενον orationi media interposita esse ratus nimis audacter scripsit γὰρ οὐκ ἐᾷ et vertit: „Quae (conculcari) nefas est, Iustitia non sinit pedibus conculcari", quo coactus est, ut in versu antistrophico dipodiam jambicam νέον ξίφος insereret. Quod quis est, qui probaverit? Deinceps fuerunt, qui οὐ negationem librarii errore in hunc versum translatam deleri vellent, haud inepte, opinor, id quod ex verborum interpretatione infra apponenda satis apparebit. (Cf. quae O. Muellerus in Zimmermanni diariis a. 1836 pag. 4 disseruit.) Franzius nimia quadam audacia ductus interpunctione post Δίκας deleta verba γὰρ οὐ e textu ejecit, deinde pro πατούμενον substituit πατουμένας, nominativum παρεκβάντες mutavit in παρεκβάντας, ita ut τὸ μὴ θέμις adverbialiter dictum sit. Et ipse Heimsoethius, qui particulam γάρ ab interprete additam, qua haec et prior enuntiatio conjungerentur, atque οὐ particulam perversa verborum τὸ μὴ θέμις interpretatione ortam esse censet, verba γὰρ οὐ delevit. Idem scholiastae explicatione ἔστι μετοχὴ ἀντὶ ῥήματος motus, participia πατούμενον et παρεκβάντες pro verbis finitis posita esse ratus τὸ μὴ θέμις explicat ὅ μὴ θέμις ἐστὶ πατεῖν. Contra eum Weilius in Philol. XXI disputavit, fieri non posse, ut aoristi participium pro verbo finito usurparetur, ibique priore sua lectione improbata post οὐτᾷ interpungi, verba γὰρ οὐ deleri, pro οὐ θεμίστως substitui vult αὖ θεμιστοί, in qua con-

jectura non intelligitur, quid sibi velit θεμιστοί. Nam θεμιστός non est „legibus obnoxius", id quod Weilius intellexisse videtur. Nec magis perspicua est Bambergeri emendatio, qui Stanleji conjectura παρεκβάντος retenta pro γὰρ οὐ scribi vult παρ' οὗ. Item improbanda mihi videtur O. Muelleri emendatio, qui accusativum παρεκβάντας ex verbo οὐτᾷ pendere et verba τὸ μὴ θέμις γὰρ, λὰξ πέδοι πατούμενον τὸ πᾶν Διὸς orationi media interposita esse existimavit. Nuperrime rursus exstiterunt, qui particulam οὐ retinendam esse censerent, in eisque Ahrensius vertit: „Nam quod fas non est, pedibus non proculcatur, si quis omnem Jovis venerationem migravit" nec dissimili modo Zwolskius: „Nam nefas pedibus non proculcatur, quum plane Iovis majestatem nefarie migrent," qui codicum scriptura πέδον et παρεκβάντες retenta τὸ πᾶν adverbialiter dictum esse arbitratur. Quod etsi grammatica ferri posse non nego, tamen et Zwolskii et Ahrensii explicatio ei vitio obnoxia est, quod notio „impune," quae sine verborum concinnitate omitti non potest, desideratur. Neque eis assentior, qui παρεκβάντες formam pro nominativo absoluto habent, quum ejusmodi enuntiatio hoc quidem loco non minus languida quam dura esset. Itaque quum earum, quas attuli, explicationum nulla satis apta esse mihi videatur, facere non possum, quin aliam proponam. Et primum quidem γάρ particula, quam prioris sententiae confirmandae causa deleri posse negaverim, satis demonstrari mihi videtur, post Δίκας interpungendum esse, ne γάρ a versus initio justo longius distet. Deinde οὐ negatione, quam librarii errore ex versu 633 in hunc irrepsisse verisimile est, deleta, verba λὰξ πέδοι πατούμενον, ad quae facillime ἐστίν intelligitur, praedicatum esse judico ad subjectum illud τὸ μὴ θέμις, quod, quum universe dictum sit, proxima enuntiatione τὸ πᾶν Διὸς σέβας παρεκβάντες οὐ θεμιστῶς Agamemnonis interfectorum ratione habita accuratius explanari mihi persuasum est. Qua quidem explicatione fit, ut codicis Med. scriptura, si deletum illud οὐ

exceperis. non mutata, strophae sententia non solum sit admodum perspicua, verum etiam gravissima.

Textum igitur sic scribi velim:

Τὸ δ' ἄγχι πνευμόνων ξίφος
διανταίαν
ὀξυπευκὲς οὐτᾷ
διαὶ Δίκας· τὸ μὴ θέμις γὰρ
λὰξ πέδοι πατούμενον,
τὸ πᾶν Διὸς σέβας παρεκβάντες οὐ θεμιστῶς.

quem hunc in modum verto:

„Prope vero pulmones gladius acutus ex adverso penetrat per Justitiam: nam quod nefas est pedibus proculcatur, (pedibus proculcantur) qui omnem Iovis verecundiam migraverunt nefarie.“

Quibus in verbis per se perspicuis nihil inest, quod accuratius explicari necesse sit. —

Sequitur, ut de antistrophae verbis depravatis pauca praeponamus. Praebet enim cod. Med. hunc textum:

Δίκας δ' ἐρείδεται πυθμήν.
προσχαλκεύει δ' Αἶσα φασγανουργός·
τέκνον δ' ἐπεισφέρει δίμασε
δωμάτων παλαιτέρων τείνει μύσος
χρόνῳ κλυτὴ βυσσόφρων Ἐρινύς.

Et primum quidem v. 635 Hermannus προσχαλκεύει rectissime mutavit in προχαλκεύει, quum illud neque sententiae nec metro respondeat. Magis depravata sunt vv. 636 et 637 verba δίμασε δωμάτων, pro quibus Robortellus scripsit δόμασι δωμάτων, Turnebus et Victorius δώμασι δωμάτων, qua scriptura metrum turbari primus adspectus docet. Itaque viri docti, prout versus strophicus ab ipsis restitutus ferebat, multas proposuerunt emendationes, in eisque Pauwius, Bothius, Schwenkius, Klausenius δόμοισι, Schuetzius δόμοις νέον, Ahrensius δώμασιν,

Blomfieldius δόμοισι τῶν ϑ αἱμάτων παλαιτέρων, O. Muellerus δόμοισι ἐξ αἱμάτων, Hermannus primum δόμοις ἰδεῖν, postea δόμοισιν ἐκ δ'αἱμάτων, Franzius δόμοις αἱμάτων παλαιτέρων τίνειν μύσος, Rob. Engerus de Aeschyliis antistrophicorum responsionibus pag. 26 τέκνον ἐπεισφέρει δι' αἱμάτων. Αἱμάτων παλαιτέρων τίνειν μύσος, Bambergerus δόμοις, μύσει δ' αἱμάτων, Zwolskius τέκνον δ'ἐπεισφέρει δὶ αἵματ' ἐς δῶμα· τῶν παλαιτέρων τίνει. Atque ego quum versum 631 legi velim:

διαὶ Δίκας· τὸ μὴ ϑέμις γάρ

hoc loco scribendum esse censeo:

τέκνον δ' ἐπεισφέρει δόμοισιν
αἱμάτων παλαιτέρων, τίνει μύσος etc.

Nam αἱμάτων scribendum esse pro δωμάτων Canterus egregie elicuit ex scholiastae explicatione ἐπεισφέρει δὲ τοῖς οἴκοις τέκνον παλαιῶν αἱμάτων· ὅ ἐστι τίκτει ὁ φόνος ἄλλον φόνον. Itaque verba sic scribenda videntur:

Δίκας δ' ἐρείδεται πυϑμήν.
προχαλκεύει
δ' Αἶσα φασγανουργός·
τέκνον δ' ἐπεισφέρει δόμοισιν
αἱμάτων παλαιτέρων,
τίνει μύσος χρόνῳ κλυτὰ βυσσόφρων Ἐρινύς.

quae verto:

„Iustitiae vero stabilitur fundamentum. Procudit autem Fatum, gladiorum fabricator; filium infert aedibus sanguinum antiquiorum, ulciscitur scelus tandem clara et profundae mentis Erinys".

Reliquum est, ut pauca de verborum sententia afferam.

Δίκας δ' ἐρείδεται πυϑμήν recte scholiasta explicat ῥίζα δικαιοσύνης καταβάλλεται. De arae fundamentis, quae Dindorfius in edit. Oxon. intelligit, vix est cogitandum. Opposita

sunt haec verba prioribus τὸ μὴ θέμις γὰρ λὰξ πέδοι πατούμενον.

Cum v. 635 cf. Soph. Aj. v. 1034

ἆρ' οὐκ Ἐρινὺς τοῦτ' ἐχάλκευσε ξίφος
κἀκεῖνον Ἅιδης, δημιουργὸς ἄγριος;

et Hor. Od. IV, 15, 17

Custode rerum Caesare non furor
Civilis aut vis exiget otium,
Non ira, quae procudit enses
Et miseras inimicat urbes.

Αἶσα est Fatum, quod Iustitiae ultrici tanquam ministram enses procudere poeta fingit.

V. 636. τέκνον non ad Orestem spectat, sed cum genetivo αἱμάτων παλαιτέρων conjunctum efficit „vetustiorum caedium filium“ i. e. novam caedem, quae verborum notio apertius significatur enuntiatione apposita τίνει μύσος.

Metrorum ratio haec est:

στρ α'.

–́ ⏑ ⌞ | –́ ⏑ ⌞ | –́ ⏑ – ⏑ | –́ ⏑ – ∧ |
–́ ⏑ ⌞ | –́ ⏑ ⌞ | –́ ⏑ – ⏑ | ⌞́ – ⏑ |
–́ ⏑ ⌞ | –́ ⏑ ⌞ | –́ ⏑ – ⏑ | –́ ⏑ – ∧ ||
–́ ⏑ – ⏑ | –́ ⏑ – ∧ |
–́ ⏑⏑ – ⏑⏑ | –́ ⏑⏑ – ⏑⏑ | ⌞́ – ∧ |
–́ ⏑ – ⏑ | –́ ⏑ – ∧ ||

στρ. β'.

⌞́ ⌞ | –́ ⏑ – ⏑ | –́ ⏑ – ∧ |
–́ ⏑ ⌞ |
⌞́ – ⌞ | ⌞́ ⌞ | –́ ⏑ – ∧ ||
–́ ⏑ – ⏑ | –́ ⏑ ⌞ | –́ ⏑ – ∧ |
–́ ⏑ ⌞ | –́ ⏑ ⌞ |
–́ ⏑ ⌞ | –́ ⏑ ⌞ | –́ ⏑ – ⏒ ||
–́ ⏑ – ⏑⏑ | –́ ⏑ – ∧ | –́ ⏑ – ⏑⏑ | ⌞́ – ∧ |
⏓́ ⏒ – ⏑⏑ | –́ ⏑ – ∧ | –́ ⏑ – ⏑⏑ | ⌞́ – ∧ ||

στρ. γ'.

⏑ | –́ ⏑ ⌞ | –́ ⏑ – ⏑ | –́ ⏑ –
⏑ | –́ ⏑ ⌞ | –́ ⏑ – ⏑ |
–́ ⏑ ⌞ | –́ ⏑ – ⏑ | –́ ⏑ – ||
⏑ | –́ ⏑ ⌞ | –́ ⏑ – ⏑ | –́ ⏑ –
⏑ | –́ ⏑ ⌞ | –́ ⏑ –
⏑ | –́ ⏑ ⌞ | –́ ⏑ – ⏑ | –́ ⏑ – ||
⏑ | –́ ⏑ ⌞ | –́ ⏑ – ⏑ | –́ ⏑ –
⏑ | ⌞́ ⌞ | –́ ⏑ – ⏑ | ⌞́ – ||

στρ. δ'.

⏑ | –́ ⏑ – ⏑ | –́ ⏑ –
⏑ | ⌞́ ⌞ | –́ ∧ ∧̄ |
–́ ⏑ – ⏑ | ⌞́ – ||
⏑ | –́ ⏑ – ⏑ | –́ ⏑ – ⏒ |
–́ ⏑ – ⏑ | –́ ⏑ –
{ ⏑ | –́ ⏑ – ⏑ | –́ ⏑ ⌞ |
–́ ⏑ – ⏑ | ⌞́ – ∧ ||